

GIURISPRUDENZA

SUPREMO TRIBUNALE DELLA SEGNETURA APOSTOLICA, 2 ottobre 2018, Prot. n. 52094/16 CA, Ordinariato Militare N. *Della soppressione della parrocchia X presso l'Accademia Militare Y* (Rev.do Z e altri – Congregazione per il Clero).*

SENTENTIA DEFINITIVA IN NOMINE DOMINI. AMEN

FRANCISCO PP. feliciter regnante, Pontificatus sui anno VI, die 2 octobris 2018, Supremum Signaturae Apostolicae Tribunal, videntibus Em.mis ac Rev.mis D.nis Dominico Card. Mamberti, Praefecto, Leonardo Card. Sandri, Iosepho Card. Versaldi, atque Exc.mis ac Rev.mis D.nis Philippo Iannone, O. Carm., et Francisco Daneels, O. Praem., Ponente, atque intervenientibus primum Cl.mo Michaële Meconcelli, piae memoriae, et dein Cl.mo Andrea Errera, tamquam Patrono Partis Recurrentis, et Cl.mo Tobia Krogner-Kornalik, utpote Patrono Congregationis pro Clericis et Exc.mi Episcopi Ordinarii Militaris in N, atque Rev.do P. Nicolao Schöch, O.F.M., Promotore Iustitiae Substituto, hanc definitivam tulit sententiam.

I. SPECIES FACTI

1. Duplici decreto, die memoriae S. Agathae scilicet 5 februarii anni 2016 lato, Exc.mus Episcopus militaris N paroeciam X apud militarem Aca-

* Vedi dopo la sentenza il commento di G. PARISE, *Soppressione di una parrocchia e impossibilità di sanare un atto amministrativo illegittimo da parte del superiore gerarchico*.

demiam Y suppressit et Rev.dum Z, hucusque parochum paroeciae X, Moderatorem paroeciae militaris W nominavit. (Miro modo dein in notituario Ordinariatus militaris decretum suppressionis paroeciae, ommissa mentione diei memoriae S. Agathae, die 8 februarii latum dicitur!)

Rev.dus Z et duo paroeciani suppressae paroeciae, frustra revocatione eius suppressionis ab Exc.mo Episcopo petita, dein ad Congregationem pro Clericis provocaverunt. Rev.dus autem Z, adversus translationem ad paroeciam W, quae duplici legislatione regitur, nempe ecclesiastica et civili, non recurrit ad Congregationem pro Clericis, sed iurisdictionem civilem adire maluit. Ipse, vero, apud Congregationem varia damna resarcienda petiit.

2. Congregatio pro Clericis decreto diei 30 iunii 2016 recursum reiecit. Quod adversus decretum Recurrentes dein hoc Supremum Tribunal adierunt, quod recursum in Congressu diei 19 iunii 2017 ad disceptationem coram hoc Collegio admisit.

Omnibus rite peractis, nunc Nobis respondendum est dubio suo tempore, id est die 14 septembris 2017, statuto:

An constet de violatione legis in procedendo vel in decernendo relate ad decretum a Congregatione pro Clericis die 30 iunii 2016 latum et, quatenus affirmative: An et quaenam damna Rev.do Z exinde illata sint et quomodo reparanda.

II. IN IURE

3. Ad normam can. 515, § 2 paroecias «supprimere... unius est Episcopi dioecesanis,

qui paroecias ne ... supprimat ..., nisi audito consilio presbyterali». Etsi hac de re non fit mentio, evidenter iusta requiritur causa motiva, uti pro omnibus actibus administrativis ponendis. In procedendo unum tantum requiritur, id est ut antea consilium presbyterale ad rem audiatur.

4. Iuxta can. 127, § 1 cum «iure statuatur ad actus ponendos Superiorem indigere ... consilio alicuius ... coetus, convocari debet... coetus ad normam can. 166, nisi ... aliter iure particulari aut proprio cautum sit ...». Idem canon dein in distincta § 2 agit de consilio aliquarum personarum, uti singularum, petendo. Codex Iuris Canonici ideo apprimè distinguit inter consilium a singulis uti singulis et consilium a coetu uti coetu petendum. Quapropter coetus ad normam iuris convocari debet, ut de re apte disceptata consilium seu votum ipsius coetus efformari possit. Ita sententia definitiva H.S.T coram Rouco Varela diei 27 novembris 2012: «Auditio consilii presbyteralis regitur praescripto can. 127, iuxta quod Superiori necessitas incumbit collegium seu coetum convocandi atque consilium personarum exquirendi» (prot. n. 46165/11 CA, n. 5). Et sua vice C. Begus tenet quod «non va dedotto che la funzione di consultazione sia esercitata dai singoli componenti dell'organismo individualmente considerati. Si tratta infatti di attività in rapporto strumentale e preparatorio rispetto all'espressione del parere che invece è prerogativa dell'organismo collegiale» (*Commento*, in *Monitor Ecclesiasticus* 132 [2017] 41-49: vide 47, nt. 15). Consilium separatim exquisitum a singulis membris consilii presbyteralis, sine eius adunatione, est tantum consilium a singulis sed haudquaquam ab ipso coetu exquisitum.

5. Habetur vero in can. 127, § 1 clausula «nisi...aliter iure particulari aut proprio cautum sit». In Statutis consilii presbyteralis Ordinariatus militaris in N, § 4, quidam casus specifici indicantur in quibus sine convocazione coetus per cursum publicum procedi potest ad quasdam electiones peragendas, id est in stabiler constitueno coetu parochorum, ex quibus Episcopus duos seligat ad sibi adiuvandam in parochorum amotione et translatione imposita (cf cann. 1742, § 1; 1745, n. 2; 1750), in eligendis eiusdem consilii repraesentantibus in consilio pastoralis et in Concilio particulari (cf. can. 443, § 4). (N.B. Nescitur cur proprie in hoc contextu quarundam electionum per cursum publicum peragendarum dicatur quod omnia membra consilii sint sodales synodi dioeceseanae, cum id iam can. 463, § 1, n. 4, statuatur et ideo ad rem electio haudquaquam requiratur). Quidquid est, patet ex Statutis normam generalem esse ut consilium presbyterale convocandum sit ad munus suum explendum, exceptis tantum praedictis casibus specificis. Animadvertendum est, servatis servandis, sufficere praesentiam sex tantum membrorum ut consilium presbyterale procedere possit (§ 8b Statutorum).

6. Can. 1739 Superiori hierarchico in expendendis recursibus hierarchicis amplam facultatem concedit. Qui Superior potest impugnatam decisionem confirmare, irritam declarare, rescindere, revocare, emendare, subrogare vel ei obrogare. Sed ibi nullo modo fit sermo de eius facultate eam sanandi. Codex Iuris Canonici, ceterum, tantum, servatis condicionibus peculiaribus, cavet de sanatione in quibusdam casibus specificis, scilicet de sanatione in radice matrimonii irriti (cf. cann. 1161-1165), de sanatione actuum in iure processuali (cf. can. 1619) et de sanatione sententiae vitio nullitatis sanabilis affectae (cf. cann. 1622-1623), sed nullibi praevidet sanationem uti institutum generale. Iamvero, Legislator quod voluit dixit, quod noluit tacuit. Quapropter ex silentio de generica facultate sanandi tam in can. 1739 quam in systemate Codicis Iuris Canonici concludendum est Superiorem hierarchicum in expendendo recursu hierarchico haudquaquam facultate gaudere decisionis impugnatae sanandae. Quod apprime cohaeret cum regula iuris «Lite pendente nihil innovetur» (can. 1512, n. 5), quae regula utpote regula iuris recursum hierarchicum expendendum procul dubio quoque respicit. Leges, ceterum, quibus recursus hierarchicus regitur processuales habendae sunt, cum in Libro VII de processibus iaceant (cann. 1732-1739). Iam satis hac de re, de qua doctrina, toto systemate iustitiae administrativae prae oculis habito, ulterius disserere potest.

7. Sedulo tamen animadvertendum est hisce dictis firmam manere am-

plam facultatem Superiori hierarchico can. 1739 concessam, ita ut ipse v.g. emendare possit decisionem ob defectum partis motivae impugnatam, adducendo nempe rationes motivas quae in actis exstant, quo vero casu actus dein forte apud H.S.T. impugnatus est actus Dicasterii, prorsus praetermisso actu auctoritatis inferioris. Ita quoque Dicasterium recursum illegitime propositum tamquam denuntiationem habere potest et, propter suum munus invigilandi, ex officio et motu proprio procedere. Sed etiam tali in casu, actus dein forte apud H.S.T. impugnatus est solummodo actus Dicasterii. Quibus tamen in casibus haudquaquam agitur de vera actus auctoritatis inferioris sanatione.

8. Quaestio de damnis reparandis regitur artt. 101 -103 Legis H.S.T. propriae.

Respicere vero potest asserta damna tantummodo ex actu forte illegitimo coram H.S.T. impugnato provenientia. Quaestio vero de expensis et honorariis distinguitur ab ea de damnis reficiendis, uti patet ex art. 30, § 3 Legis H.S.T. propriae: «In decisionibus statuitur circa expensas, honoraria et, si casus ferat, damna reficienda».

III. IN FACTO

9. Ad quaestionem de asserta impugnatae decisionis illegitimitate in discernendo ex parte Exc.mi Episcopi Ordinarii militaris quod attinet, pernota est difficultas probandi in causis suppressionis paroeciae ne unam quidem iustam rationem motivam

haberi. In casu Exc.mus Episcopus in primis genericam rationem motivam indicavit, scilicet saltem opportunitatem ut, attenta deminutione per quintadecimam partem ex centum subsidiorum exercitui ex parte gubernii civilis tributorum, etiam Ordinarius expensas reduceret; quod argumentum genericum non caret rationabilitate. Ad id efficiendum Exc.mus Praesul opportunam duxit suppressionem paroeciae in regione R, attenta disproportione inter numerum paroeciarum in hac regione et earum numerum in aliis regionibus N, eo vel magis cum deficerent presbyteri ad officium parochi in paroeciis iam vel mox vacantibus assumendum. Cum gressus fierent ad unionem Academiae militaris cum sede P et Academiae militaris Y (R), Exc.mus Episcopus censuit duas paroecias ibi exstantes esse uniendas, ita ut efformaretur nova paroecia sub nomine Paroeciae Militaris apud Scholam T. Pars Recurrens contra contendit argumentum penuriae cleri non valere, cum haberentur duo presbyteri Ordinariatus incardinati, qui extra eum officio funguntur. Sed haud probat illos paratos esse et condiciones adimpleri ut ipsi officium parochi militaris in Ordinariatu assumerent. Apparet, insuper, ex actis in casu potius collocationem sedis novae paroeciae in civitate P impugnari quam ipsam unionem. Quod vero potius quam de unionis legitimitate quaestio est de collocationis eius sedis opportunitate, de qua huius Signaturae Apostolicae non est videre. Suspicitur tandem Pars Recurrens Exc.mum Episcopum per suppressionem paroeciae militaris apud Academiam Y intentionem habuisse obligandi Rev. dum Z ad novum officium moderatoris paroeciae militaris W adeundum. Sed ita agitur de processu intentionis seu de

internis, de quibus quoque iudicis non est videre. Quibus omnibus consideratis, censendum est non constare de violatione legis in decernendo ex parte Exc.mi Episcopi Ordinariatus militaris in N.

10. Aliter vero dicendum est de illegitimitate in procedendo ad impugnatum Exc.mi Episcopi Ordinarii militaris actum quod attinet. Constat enim consilium presbyterale convocatum non esse ut consilium de suppressione paroeciae X promeret. Ad rem invocari nequit asserta urgentia decisionis, nam singula membra consilii per litteras electronicas ad rem iam die 25 iunii 2015 audita sunt et impugnata decisio tantum die 5 februarii 2016 lata est. Nec valet Exc.mi Praesulis obiectio, iuxta quam consilium presbyterale in sessionibus dierum 6 octobris 2015 et 18 ianuarii 2016 de re disceptare posset, nam in convocatione ad sessionem diei 6 octobris 2015 inter obiecta consideranda solummodo indicata sunt consecraria unionis extinctivae paroeciarum in contextu mutationum ad ministros pastorales quod spectat, atque, praesertim, in minutis illarum sessionum ne verbum quidem invenitur de dicta unione paroeciarum. Nihil impedit quominus Exc.mus Episcopus per cursum electronicum mentem omnium presbyterorum audiat in rebus maioris momenti, dummodo, quando iure requiritur, dein consilium presbyterale convocetur ad votum suum promen-

dum, id quod sat facile fieri potest, eo quod tantummodo praesentia saltem sex membrorum sufficit ut consilium agere valeat. Quibus dictis, patet constare in casu de violatione legis in procedendo ex parte Exc.mi Episcopi Ordinarii militaris.

11. Sua ex parte Congregatio pro Clericis, ut constat ex praedictis, frustra impugnata eiusdem Exc.mi Episcopi decisionem uti legitimam in procedendo habere conata est. Idem Dicasterium ad cautelam nihilominus praeterea edixit se impugnatae decisionis illegitimitatem, casu quo haberetur, sanare. Qua tamen sanandi facultate, uti vidimus in iure, Congregatio non pollet, Habetur proinde error in procedendo ex parte eiusdem Dicasterii.

12. Cl.mus Rev.di Z Patronus damna oeconomica resarcienda esse censet ob duplicem rationem, scilicet ob expensas pro nova eius habitatione prope civitatem W factas et ob amissum munus docendi in schola militari R.

Ad primum sine ambagibus dicendum est haec asserta damna colligata esse cum novo munere moderatoris paroeciae militaris W ei collato, adversus quod Rev.dus Dominus nullum coram Ecclesia proposuit recursum. Deest igitur quodcumque praesuppositum ut H.S.T. hac de re videat. Prorsus, ceterum, absona apparet eius petitio resarciendi quasdam expensas pro emptione

habitationis eiusque refectionis, quae domus ad rem haud requirebatur, sed quam ipse sibi inservire ducebat ut etiam tempore senectutis et otii in regione originis habitare posset, vitatis expensis pro habitationis conductione. Neque sequitur ex illegitimitate suppressionis paroeciae X Rev. dum Z adhuc iura uti eius parochum vindicare posse, cum ipse tempore opportuno nominationem ad novum officium W coram Ecclesia non impugnaverit.

Ad alteram rationem quod spectat, idem Cl. mus Patronus prudenter tacet de quantitate pecuniae resarcienda, probabilius ob decisionem tribunalis civilis laboris adversus Archidioecesim P (quae non est pars in hac causa!) et Ordinariatum militarem die 22 maii 2017 latam. Patet, utcumque, suppressionem paroeciae X muneris in schola militari docendi amissionem ipso facto non secumtulisse.

Deficit igitur relate ad utrumque assertum damnum resarciendum necessarius nexus cum suppressione paroeciae X.

Cl. mus Rev. di Z Patronus loquitur quoque de damnis haud patrimonialibus ex repercussionibus psychicis illegitimae suppressionis paroeciae, sed non probat illas repercussiones psychicas apprimere ipsi suppressioni paroeciae tribuendas esse.

Rebus sic stantibus, petitio refectionis damnorum reicienda est.

IV. CONCLUSIO

13. Omnibus tum in iure tum in facto aequae rimatis, infrascripti Patres, Christi Nomine invocato, pro Tribunali sedentes ac solum Deum prae oculis habentes, dubio proposito respondendum esse decreverunt atque facto respondent:

Constare de violatione legis in procedendo relate ad decretum a Congregatione pro Clericis die 30 iunii 2016 latum.

Non constare de damnis Rev. do Z exinde illatis et reparandis.

Pars Resistens summam 1550 Euro pro expensis processualibus solvat et cautio in arca H.S.T. deposita Parti Recurrenti restituatur. Partes suo quaeque Patrono congruum solvant emolumentum.

Quam sententiam definitivam cum omnibus quorum interest communicandam et executioni mandandam esse decernimus, ad omnes iuris effectus.

Datum Romae, e sede Supremi Signaturae Apostolicae Tribunalis, die 2 octobris 2018.

(Signati)

Dominicus Card. MAMBERTI, *Praefectus*
Leonardus Card. SANDRI
Iosephus Card. VERSALDI
✠ Philippus IANNONE, O. Carm.
✠ Franciscus DANEELS, O. Praem., *Ponens*
Et notificetur.

Die 6 novembris 2018

✠ Iosephus SCIACCA
Episcopus tit. Fundanus *Secretarius*
Marius LEITE DE OLIVEIRA
vices Praepositi Cancellariae gerens